

/ Illustrissimo, et Reverendissimo Domino D. Roberto Bellarmino
S.R.E. Cardinali Amplissimo Federicus Caesius Lync. Princeps S. An-
geli Felicitatem.

En ab urbanis jam civilium negotiorum cumulis, semoto aliquan-
5 tulum mihi, coelestibus contemplationibus serius dare operam licet,
dum liberiori quadam aura fruitor animus; dum ~~man~~ nihil magis avet
quam per amplissimas altioris illius naturae regiones expatiari.
Desideratum quidem hoc diù, sed et curandum maxime ~~ea~~que praeser-
tim de causa tuis Princeps Illustrissime monitis ut paream, et sa-
10 tisfaciam, quibus alacrius, audaciusque rem adortus sum. Coelestis
equidem Provincia cui non difficilis videri poterat? cui non dif-
ficiliores Physiologorum mentes in praestitutis ejus legibus? cui
non multiplices in scholis rumores ex novis a Galilaeo detectis?
Olympica plane certamina restituta, seu potius mediis in scholis
15 constituta, dixisse quis poterit. Verùm nihil durum, nihil diffi-
cile te adhortante; plana omnia. Meam cum audire sententiam volu-
isti, neque dumtaxat, Unicum, Tenue, perviumque Coelum, à me propo-
situm te probare Orbium et orbiculorum tam multas, tam perplexas
moles è naturae puritate eliminatas, sed etiam proprio ex voto id
20 esse affirmasti, et sacrae paginae oraculis maximè consonum: tunc
certè ad complendum opus exarsi, tunc injectae à negotiorum *tracis*²
morae maximè displicuere. Eo quoque magis insumptus hodie labor
oblectat, et ad eum recessus in hisce meis Umbriae montibus gratior
et jucundior existit; quamvis sero à molestis illis curis fuerit
25 obtentus. Ipsius modo operis aliqua ratio tibi Illustriss. Domine
reddenda est. Quod ut hisce litteris praestare possim, quid potius
offeram? ipsasne Physiologorum concertationes expresso, quibus
quasi inexplicabilibus densissimisque sentibus iter undecunque con-
stipantibus asperior sit ad rem accessus? vel potius variam Caeli
30 historiam adumbravero, prout diversè illud adomnandum ab elatiori-
bus hominum ingeniis effictumque operosè invenimus. Abuti certe

/ hoc esset tua illa humanitate qua ab illustrioribus illis laboribus, et altioribus curis, quibus universae Reipublicae Christianae bono assidue prospicere satagis; non raro demitti soles, ut distrahentium quamvis minus opportunis alloquiis, omni ex parte satisfacias. Porro hisce te detinere minime aequum est; quae satis erit ipso in opere conscripta opportunius aspicere. Illud nunc tantum significare liceat: Physicè, Mathematicèque quaesitum Caelum. Caelum nubibus stipatum, et caligine mersum altiori, nec quidem ea naturali in corpore undequaque fulgenti, immo universae hujus lucis
10 origine; sed ab humanis mentibus ratiocinationum ambage, ipsi auspersa atque obvoluta ita nobismet ipsis medio in splendore tenebras facimus, ipsumque quod petimus, quaestione nobis abscondimus et celamus. Serenitatis tamen spem quaerenti mihi affulgere non negaverim, sique dignitati, si amplitudini objecti corporis satisfacere, prorsus supra vires fuerit; conatum sanè illis ex omnibus fu-
15 turum. Ab inferiorum harum discussione ad summam illam ac primam sacrorum librorum veritatem abripior. Inde plenissimae autoritatis testimonia quibus refragari nefas; inde confirmationes plures quibus reniti impium est, depromuntur. Quia verò aliqua sunt quae
20 varii variè interpretantur, nec parum in scholis agitantur, ea hic exponere et fusè quidem consilium est tuo digniora conspectu, tuo dignissima iudicio: nec enim mihi ratae omni ex parte explicationes videri poterint nisi divini alicujus Interpretis et examen, et autoritas intercesserit. Cujus vero id potius quam Illustriss. Bel-
25 larmini? per eam igitur qua me semper prosequutus es benevolentiam, praestare hoc mihi digneris Illustriss. Princeps te rogo, et obtestor, ut omnia ritè exposita et apposita sint servato semper genuino sacrarum litterarum sensu à quo sicubi vel minimum disces-
sum fuerit, ad illum reducas opto, et quodcumque censueris signifi-

Gen. I. hom. 4 30 Coeli unitatem primo cum D. Bonaventura assumo in primo ces.
Genes. D. Chrysostomum in primis antesignanum sequutus, qui multitudinis Caelorum assertores acrius utpote veritati sacrarum

- litterarum contrarios reprehendit. Hic objectum illud plurium numero, Caelos in sacris saepesaepius dici; ex Hebraicae linguae proprietate diluo, nec inusitatum quoque apud latinos adnoto, rem plurali numero unam indicare, qui Venetias, Athenas dicimus. Respicere quoque modum hunc, rei ipsius longè latèque expansae ac fusae magnitudinem, quae vastitate sua multarum rerum quodammodo vices sortiatur, dum in multas partes, easque ingentes divisa concipi potest: ita Aquarum universitas in sacris Maria, et Aquas communiter appellamus. Quod si duale hebraicum agnoscatur, duas Caeli physici partes seu regiones ex primi adverto, sydereum et Aereum ut tertio Caelum Caelorum
- Ortod.2.6. in Gen.hom.3 in Gen.120 in Catalog. haeres. *y'p7* Empyreum nempe sit, ad quod raptus D. Paulus, cui distinctioni D. Damascenus, D. Basilius, Theodoretus, et Philastrius adstipulantur. rem expansam, extensam lateque diffusam significare
- 15 adverto, ut ei substituta Firmamenti vox, parum respondere videatur; nec ullo pacto adamantina inde orbium soliditas concludi possit, potius si ex Graeco stereomatis, ex latino Firmamenti, vicabulo, firmitatis aliquid habendum sit, illud ipsum esse, quo rapidus in gyrum cursus, et multiplex circumvolutio
- D. Chrysost. ad Antioch. hom.12 Proverb.8. Ep. D. Pauli ad Heb.8 D. Chrysost. hom.14 ad pop. Ant. ho.12. 30 ab Aethere prorsus auferri debet, de quo scriptum, Aethera firmabat sursum, et Tabernaculum fixum, tribui verò ipsis syderum solis, lunaeque corporibus, sacrae paginae auctoritate, in qua motus, gyros, cursus de ipsismet stellis, non de orbibus ullis dicuntur: quorum in sacris mentio prorsus nulla, sicuti in phy-
- 25 sicus aspectus nullus, indicium nullum. Habemus quoque ex D. Augustino jam pridem diligentissimè observatum esse Caelo non moto, sed ipsis tantum syderibus quaecumque apparent optimè explicari. Sed et hoc recentius visis magis, magisque comprobatum.
- Ita caelum immobile, sydera verò minimè affixa ad pervium
- 30 illud percurrentia non solum agnoscunt, sed summa nobis assertionatione determinant D. Chrysostomus, Justinus Martyr, Diodorus et 13. Tarsensis, Eusebius Emisenus, Origenes, Procopius Gazeus, Theo-
- In Gen. ho.6 et 13. ad Ant. 12.

ad 93.q.Orthod. / doretus Tyrensis, Theophylactus, Lactantius, Philas-
in Gen.1. trius aliique.

l.5.con.Cel.

Talem Caeli naturam ullius proprii motus expertem,

c.1.periarch.

in Gen.1.et 7.

dubiam quoque figuram consequi observo, ut acquiescere

in Catalog.haeres.

5 prorsus debeant Orbistae Sanctorum Patrum authoritati,

qui ex sacris litteris sphaerica ornamenta jamdiu ex-

ploserant; pertinacemque elegantium globorum, et multiplicium defen-

sionem derelinquere cogantur. Minus enim rectè, minus quoque piè in

ea actum videtur, nec phaenomeno, aut firma ratione suadente. Scis

hom.14.et 27.¹⁰
hexam.1

Illustriss.Domine quam unanimes idem D.Chrysostomus, D.Ambro-

hom.1 sup.Gen.

sus, D.Basilus, Theophilactus, Justinus; acrius vero Lac-

in ep.ad Heb.8

ad q.130.Orth.

tantius, et Procopius Gazeus, sphaericam hanc figuram repro-

Div.inst.3.13.

Com.in Gen.

baverint. Hac autem abolita praeter ipsam expansionem, di-

latationem, diffusionem uno nomine *ג'ח* apprimè expressam,

15 aliam determinatè nostris Uranometris cognitam, aut quae
apprehendi possit, nullam induci posse existimaverim. Il-

lud scilicet tantum constare Coelum circumquaque fustum et

super omnia explicatum esse, ut modi, et vices Tabernaculi,

Fornicis, Cortinae, Tentorii, Pellis, de ejus hac nobis super-

20 extensione, et superinductione, satis appositè in sacris ha-

Job.36

beantur. Qui alibi praecisius ejus partibus nubibus inquam ipsis

Job.38

applicantur. Siquidem legere est: Si voluerit extendere nubes qua-

si Tentorium suum, et: cum ponerem nubem vestimentum ejus, et cali-

gine illud quasi pannis infantiae obvolverem, pluries vero, ex-

25 pandere, tegere, operire de nubibus, nebula, et *א*caligine dictum.

Nec quoad molis amplitudinem tantum, sed etiam quoad disposito-

rum in eo corporum stellarum nempe multitudinem, minimè definito

aliquo termino comprehensum esse Caelum videtur. Receptus enim

in scholis viginti et duorum supra mille numerus, et in Astronomo-

30 rum tabellis editus; ausu prorsus temerario praefigitur. Non man-

cus, mutilusque, sed vix ullius numerationis initium. Eam quippe

mortalium sensibus minimè permissam prout in sacris habetur, et ex

Patribus complures docent: ita observationum pluribus experimentis

/ constare video, quibus et distinctas innumeras,et indistinctas plures stellas conspiciere est, et latentium plurimarum, plurima habentur indicia, ut omnino admirabilis ea multitudo sit, quae merito, et

4 Gen.XV arenae maris, et semini Abraham comparetur. Erat autem Hebraeorum
Deut.10

5 Hierem. Militum tempore Mosis numerus ad sexcenta millia et ultra. Stellae
33.

Civit. itaque ut optime D. Augustinus ait, dinumerari non possunt, quia nec
Dei.16.

23. omnes eas videri posse credendum est, nam quanto quisque acutius

Ps.146 intuetur, tanto plures ^{videt} ~~esse~~ ~~videt~~. Deus enim numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. Sed certe non possum non deplo-

4.

10 rare, eam nostro saeculo complurium philosophantium aegritudinem, qua ab experimentis, et observationibus non solum abstinere, sed plurimum abhorrere solent, non enim pauci sunt qui non modo Telescopium quo visus hominum altius ~~protollitur~~, Galileumque ipsum, qui tam multa in Coelo priscis abscondita, novos nobis Planetas, nova
15 fixa, novas Astrorum facies detexit, execrantur; sed simplici etiam oculorum inermium observatione destituti, potius velint sponte coecutire, et in antiquam sylvam ire, quorundam Veterum scriptorum opinionibus fascinati, quam ab illis tantillum discedere, sensu, et ratione ducti, et praesumptis decretis, aut regulis aliquid adjungere
20 vel immutare.

Caeterum ex his omnibus Unitate, Immobilitate, Fusaque natura, nullo solido figurae termino coercita, sed stellarum, et apparentium nobis, et abditarum multitudinis, variis motibus cedente, et pervia, quae et hoc propositum singula et se mutuo comprobare valent: col-

25 ligi in sacris litteris, et plenissime posse existimo, Coelum minime durum lapidis ad instar, pluresque in orbes specie, motu, aliisque differentes dissectum, assidua rotatione infixas stellas circumducens, ut à pluribus magno plausu expositum fuit: sed Fluidum Tenue-

30 donatur, parumque ab eo distinguitur, et eo ferè modo, quo inferior pars alicujus corporis à superiori discerni solet. Firmamenti verò et nomine dici in sacris plenè doctissimus ille Pererius ostendis-

/ se videtur, in quo firmamento tùm aquas, tum stellas positas legimus; sicuti et in Caelo, et stellas, et volucres, et Aquilae viam notamus. *ד'דו, ד'פּוּו, י'פּוּו* communes fere voces. quarum non minus propositum confirmant, caelestisque Naturae indicia exhibent, peculiaris 5 res significationes, et origines; unde eas omnes opere in ipso minutius observare libet.

Fusum quidem, et fluidum Caelum omnibus exprimitur, praesertim vero ex *י'פּוּו* quae expansum extensumque notat. Quid enim quaeso magis expansum aut dilatatum esse poterit ut per excellentiam ita 10 vocetur quam tenuissimum, et rarissimum, quod aëri simile; quomodo-ve unquam summa duritiae ac densitate [quae terreum quid omninò erit] constrictum corpus, expansum dici poterit? Habemus fumi apud 51,6 Isaiam cum Coelo expressam similitudinem, vel in ipsa dissolutione affinitatem, unde aliundeque D. Basilio, et D. Ambrosio aliisque 15 Sanctis Patribus compages Aetheris non alia quam tenuissimi cujusdam fumi, qualis et Aeris. Exposita quoque tenuitas et raritas hujus 40,22 aurae mira apud eundem Isaiam his verbis: Qui extendit velut nihilum Coelos, quod de universo Coeli corpore dictum legenti patet, nec corpulentum aliquod durum multiplex, ingentiaque spatia occupans, 20 simile nihilo, ullo pacto dici poterit, sicuti è contra, optimè nihilo assimilabitur extenuatum quid, et ita diductum ut nihil impediat, et nobis insensibile ferè sit. Eodem quippe modo Antiqui ipsum aërem Job. 26. 7. inane dicebant, et in Scriptura legimus: Qui extendit Aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum. En aër hic vacui et 25 nihili nomine dicitur, appensaque super eum terra non supra aliquod solidum, durumque, quod sustinere potuerit.

Et quamvis haec exposita nullum soliditati inducendae locum relinquant, quia tamen ejus Authores nonnulli, quasi ab his omnibus clanculum irrepentes, aut effugia frustra quaeritantes, aliqua ad 37,18 30 eam imponendam inducunt; videlicet apud Jobum: Tu forsitan cum illo fabricatus es Coelos qui solidissimi quasi aere fusi sunt, et alibi: donec atteratur Caelum, ingens in primo subsidium soliditate

/ aereque dicto; alio attritio notata quae duorum est corporum: rem-
vendam hanc qualemcumque ansam omnino cogitavi locorum considera-
tione, et explicatione, certus superius adductis haec minimè adver-
sari posse. Eapropter primam lectionem ipsosque Interpretes consului.

5 Primùm varie expositum notavi. Aliis: Soliditates cum ipso in ve-
tustates validae sicut aspectus effusionis. Aliis: Firmabis cum eo
in antiquitates validae etc. Aliis: Ipse firmavit Caelum in conver-
siones validae sicut aspectus effusionis. Aliis: Extendisti cum eo
nubes fortes sicut speculum pellucidum, vel tanquam aspectus, seu spe-
10 cies speculi, vel fusibilis. Aliis: Ipse firmavit Coelum robusta
compage, velut aspectus Fusionis. Sed Hebraea ipsa verba **אֵפֶיזָהוּ שְׁתָּקִים**
הִנָּקִים בְּרָא' בְּיָאֵק הִדְקֵץ Tu expandisti cum illo Caelos validos spe-
cie fusionis planè sonare videntur, quod optimè Illustrissime Domi-
ne percensere poteris.

15 Hisce quidem ego consideratis, aeris aut metallicaе soliditatis
quemvis sensum satis exclusum existimo, fusionemque insuper ipsam,
et expansionem magis confirmatam. Ex Hebraeis certè nonnulli ita
exponunt ut talis sit sensus: An tu auxiliaberis illi ad effunden-
das nubes, et efficiendas eas fortes ut sint velut speculum eoque
20 ex eis lumen transmittat in terras. Sed tria ego consideraverim
hoc in contextu. Quod enim aliis: Firmare soliditates, Fabricare, et
extendere ex **הִדְקֵץ** dicunt, id ad expansionem **לְקִיץ** deducendum, nec
mirum si Firmare, et ei similia hoc loco ex verbo, sicuti alibi ex
nomine Firmamentum non adeò proprie derivatum. Deinde Robustum il-
25 lud, Forte, Violentum, aliis solidum, aliis Durans, quod ex **הִנָּקִים** su-
mitur aptissime Validitate reponi, ut valida, fortis, et perseverans
in sua puritate natura intelligatur, ut D. Bonaventura facit, vel e-
tiam de rato firmoque quovis tempore ordine. Tertio quod Aeris fu-
si, seu Speculi, vel Fusibilis similitudinem attinet, Speciem tantum,
30 vel Similitudinem, vel aspectum Fusionis, haberi. Aes vero et Specu-
lum ex eo inducta, quod ab eadem voce **הִנָּקִים** tam speculum quod videmus
quam visio ipsa deduci possit; ut Pineda optimè notat, inde quia

(specula aerea, aut vitrea sunt; suborta est aliis vitrea vel aerea soliditas, fundendi verbo commodè juncta, ut dum vox פסיד rem ipsam fusam, et liquidam significat, in Fusibilem et Liquabilem illis tracta fuit, quibus forte Coeli ipsa durities adamantina, menti durius inhaeserat. Quod si nimis fortasse alicui fusi aeris aut speculi similitudo arriserit, non desunt qui seclusa quavis duritie et densitate, ad perspicuitatis, nitoris, splendorisque constantiam perennemque naturam decentius referant. Praeter haec autem illud rem prorsus confirmet ד'פנש Coelos hic dici. Vox haec si rectè observavi, eam praecise firmamenti partem signat qua Meteora gignuntur, aërem nempe nec supremum, alibi vero saepè et proxime superiori cap. Jobi pro aëre versa est, et propriè tenues, comminutos, subtiles à פנש quod comminuere, contundere, extenuare, valet. Unde penitus quivis durae. solidaeque compaginis intellectus cesset. Mecum praeter alios Viri illi doctrina insignes sunt, Joannes Pineda qui copiosissimè, et diligentissimè in Job scripsit, et Benedictus Arias Montanus in sua naturae historia hic expositum locum ita legit: Extendistine cum illo Sakhakim perseverantes ut specula fusionis. Ille verò soliditatis loco, Forte, Validum, Violentum, intelligit, aërique applicat. Ambo fusè eodemque sensu locum explicant.

Jam quod attritionem facit secundo loco positam, ejus vice consumptio, dissolutio, inveteratio, seu immutatio vestium similitudine, ab aliis dicitur; ut nullo pacto durum corpus inducere debeat vis illiusmet vocis. Pro casu etiam minimè possibili dictum intelligi posset: donec atteratur Caelum. Verum minimè necessarium est visum hisce explicationibus uti, cum à plurimis verba haec: donec atteratur, vel: quousque consumatur non apponantur, nec legantur, ut apud Comitulum observavi, Hebraeaeque ipsa verba שְׁכַר וְלֹא יָקָרָם עַד-בְּלֹתָי שָׁמַיָּא? et homo dormivit, non surget donec non Caelum: sonant scilicet subaudito verbo substantivo, donec non sit Caelum, si recte percipio, ut alibi legimus: Donec auferatur Luna pro hebraeis verbis significantibus tantum: Donec non Luna: ut ita Caeli ipsa annihila-

30 Ps. 71, 7 cipro, ut alibi legimus: Donec auferatur Luna pro hebraeis verbis significantibus tantum: Donec non Luna: ut ita Caeli ipsa annihila-

1 tio seu consumptio ex toto, intelligenda veniat, eique in Naturae viribus resurrectio comparetur. Et hisce quidem omnibus haec subingesta durities satis mollita mihi videtur, retortaque ita in adversos specula ut nihil tenuissimè expanso Aetheris fluori obicis, aut
5 impedimenti remaneat; quinimo magis magisque elucescere videatur. Sed qui profecto unquam, quinam illi tandem esse poterunt, qui inter nos, et beatam illam Empyreï Patriam Glorïaeque et promissas, et expetitas sedes, hos plusquam ferreos octoginta ferè enormis crassitudinis parietes interpositos concipere maluerint, ipsius aditus et
10 descensionum, ascensionumque penetrationis miracula adaugere, et multiplicare. Anne pulchrum concinnumque videbitur; miranda et ab aliis omnibus diversissima corpora quamvis in sacris paginis praeterita, astruere illisque multis, magnisque praeter ullam necessitatem, naturam gravare, Nosque terricolas corticoso quodam quasi nucleo, multiplicis tegumenti, et durissima cavea undique concludere? Anne verò
15 nulla ratione motus, nulla pulchritudine illectus animus, talibus ita adhaesisse poterit ut et res ipsas, et rationes, sacrosque textus, operosè accomodare conetur, ne ab illis ullo modo discedat aut deturbetur. Duriter certè à durissimis hisce conditionibus longiusque repelli existimaverim, ut nec vel minimum accessisse queat, ni alio
20 affecta voluntas quam sciendi desiderio vel invitum impulerit atque coegerit. / Porro=

Porro motus stellarum, lucentium nempe ipsorum corporum, quam orbium simplicior, faciliior, concinnior, et efficacior, sacris testimoniis
25 iis comprobatus; quomodo peragatur; quaestio eadem est quae in orbium apud Sphaerologos motu. Mihi quidem ut tibi jam olim exposui Illustrissime Domine, et hoc etiam in sacris litteris haberi videtur. Angelos syderibus ipsis insidere, qui motores etiam ab ipsis Aristotelicis, agniti quamvis perperam rotandis orbibus quasi pistrinoad-
30 hibiti. Pluribus igitur in locis nomine stellarum Angelos subnotari in sacris, utpote qui plures in stellis sedes habeant, easque moveant observo. Quibus ex antiquis et nuperis non pauci, dum Angelos non

1 intellexerunt, sed ipsas dumtaxat stellas voce expressas, eo lapsi videntur ut animatas asseruerint. De Angelis enim moventibus, et as-
Apoc.12 sistentibus haec dicta sunt quibus et competunt et quidem hisce Angelorum proelium, et lapsus. Draco tertiam stellarum partem traxit.

5 pugnavit ipse et Angeli ejus. quo et referri debere videntur stellae
25,5. immundae apud Job, quibus Origenes consideratis Vitii, Virtutisque ca-
4.18. paces stellas existimavit, et illud Jobi, et in Angelis ejus reperit
Judic.5 pravitatem. alibi vero: de coelo dimicatum est contra eos stellae
stantes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. qua au-

10 thoritate incassum abuti Genethliaci solent: inde Militia Coelorum
45.12. quae Stellarum explicatur et de ea apud Isaiam omni Militiae Caelo-
et 40.

26. rum praecepi: D. Hieronymus: omnibus stellis praecepi; exponit. Ange-
Comment
1.13. licae quoque laudes. In Job. cum me laudarent astra matutina, et ju-
3.34. bilarent omnes filii Dei. Angelicae custodiae et ministeria apud Ba-

15 ruch. Stellae autem dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt
et ps. et vocatae sunt et dixerunt adsumus. Tandem praecise stellarum mo-
14.4.
ut supra tus ab Angelis apud Job sub quo curvantur qui portant Orbem. qui
Job.9.13. enim portantur orbes, sunt sydera, quae de loco ad locum transferun-
tur; nam fictitii illi orbes minimè à suo loco moventur; sed in eo

20 14.13. tantum quoad partes suis authoribus rotantur. planè vero apud Isa-
iam. Lucifer qui mane oriebaris. et in Ecclesiaste. Gyrens gyrando
vadit spiritus de Sole dictum. Quae omnia mutuò etiam se declarant:
unde et propositum plenissimè colligi et oppositum quoque magis
semper excludi videtur.

25 Haec sunt Illustrissime Princeps quae in sacris litteris habui
pro caelestis corporis consistentia, numero, et motu: quibus Physica,
et Mathematica apprimè congruere phaenomena, experimentaque omnia
phenè respondere non semel animadverti. Ita quidem attuli, ita ex-
plicavi. quid censeas modo percipere anxius aveo, si placuerint
30 operae pretium me non leve fecisse arbitrabor majorique fervore et
spiritu ad hujusce circa caelestia laboris complementum incumbam,
tuis semper vegetior, promptiorque redditus auspiciis. Sin autem

/ minus aliqua in parte satisfæci, moneas, doceas, juves. Unius quidem Veritatis amore ducor, eamque libentissimè semper amplector; cujus me satis amplum arrhabonem obtinuisse in coelestibus his existimavi quoniam illorum puritati, tenuitati, simplicitati assentientem te inveni.

Vale Illustrissime Domine meque omni animi affectu tibi devotum porrò amare juvareque perge, dum Deum Opt.Max. veneror, Ecclesiae suae universae bono, te faustis auspiciis natum probitatis ac doctrinae exemplum futuris etiam saeculis admirandum, incolumem adhuc /0 diutissimè prosperet, Majora, melioraque omnia contribuat. Aquaspartae die 14. Augusti 1618.

Scheiner. Rosa ursina. . . p.777-782.

p.775: Principis Federici Caesii Lyncei Princ.S.Angeli et Sancti Poli I. March.M.Coelii II.etc. Baronis Romani. De coeli unitate, /5 tenuitate, fusaque et pervia Stellarum motibus Natura. ex Sacris litteris. Ad Illustriss. et Reverendiss. D. D. Robertum Bellarminum S.R.E.Card. Amplissimum Epistola.